

3° Posteriorem methodum tenuerunt : a) *Tertullianus* Carthaginensis, 160—240. Doctrinam Christianam ab omni prorsus philosophica et profana scientia segregatam voluit; et pro nimia acrimonia et intemperantia ingenii sui, etiam spiritualismum Platonis, quem S. Clemens tamen admirabatur, abhorruit. Admittit nempe animam humanam non mere spirituales esse, sed compositam ex parte spirituali et materia aliqua subtili et levi, ac per traducem materialem in generatione produci, atque ita corpori uniri (cfr. *Psycholog. prop.* 103).

b) *Arnobius* Africanus (obiit a. 326), ejusque discipulus *Firmianus Lactantius*, cognomine Cicero Christianus (obiit 330), gentilium philosophiam confutarunt, christianam philosophicis argumentis extulerunt.

§ 2. A CONCILIO NICAENO USQUE AD SAECULUM SEXTUM.

1° Post declaratum Nicaeae dogma divinitatis Verbi, ejusque cum Patre consubstantialitatem, ac devictis paulatim aliis erroribus, novum aevum incipit tum dogmatis christiani evolvendi, tum philosophicae speculationis christianam doctrinam explicantis. Hanc philosophiae applicationem paulo varie apud Graecos et apud Latinos Patres factam invenimus.

2° Apud Graecos Platonis quidem philosophia praefertur, sed in ea nihil Neoplatonismi, ac specialius Origenis placitorum reperire est, ita tamen ut quidquid catholicae orthodoxiae adversaretur, ab omnibus pariter repudiaretur. Praecipui notandi sunt :

a) *S. Athanasius* Alexandrinus, 297—373, incomparabilis fidei defensor contra Arianismum.

b) *S. Basilus Magnus*, Caesareensis Cappadox, 330—379.

c) *S. Gregorius* Nazianzenus, Cappadox, 330—390.

d) *S. Gregorius Nyssenus*, Sⁱ Basilii frater, 331—394.

e) *Synesius* Cyrenensis, 375—415; prius Neoplatonicus, postea Christianus et Episcopus, sed doctrinam non plane orthodoxam semper retinens.

f) *Nemesius*, Emesinus Episcopus in Phoenicia, sicut *Synesius* in aliquibus errat, praesertim circa animae naturam, praeeexistentiam, immortalitatem.

g) *Dionysius pseudo-Areopagita*, omnium maxime Neoplatonismi retinet cum Christianis doctrinis conciliandi; ad mysticas conclusiones pronus, speciatim circa novissima hominis.

3° Apud Latinos Platonis philosophia aestimatur, minus tamen exclusive quam apud Graecos, nec Neoplatonismi tanta sunt vestigia. Praecipui sunt :

a) *S. Hilarius*, Pictaviensis, obiit a. 368, multa et praeclara contra Arianos scripsit. — Animae humanae corpus aliquod tribuit, sed subtile, immateriale; eam tamen creari docet, non generari cum corpore materiali.

b) *S. Ambrosius* Treviris natus 340, Episcopus Mediolanensis obiit 397. Scripturam S^m explicans aliquid Philonis methodi admittit (totus tamen orthodoxus!). — Ejus liber « de officiis ministrorum » primas ethicae philosophiae

christianae lineas circumscribit; — in eo ab ethnicis differt praecipue, quod ethicae fundamentum ponit finem hominis non in hac sed in futura vita obtinendam, ac proinde essentiam omnis moralitatis esse relationem ad hunc finem.

c) *S. Hieronymus* Dalmata, 346—420, interpretum S^{ae} Scripturae princeps, in scriptis suis passim aliqua philosophica habet. Animam humanam dicit immaterialem, sed innuere videtur eam esse forsitan corporatam corpore subtili...; praeeexistentiam aperte rejicit, sed circa modum oriundi animae aliquando fatetur sibi claram nullam esse sententiam, aliquando vero creationem a Deo clare enuntiat.

4° Patristicae philosophiae culmen attingit, ceterorum christianorum omnium doctrinas in synthesim unam redigens, atque in integrum systema evolvens, *S. Aurelius Augustinus*, 353—430, Tagastae in Numidia natus, Episcopus Hippone regio, ingenium sublime, acutum, universam speculationem complectens tum theologiam tum philosophiam. Atque hinc fit ut omnibus in posterum christianis tanquam unus ex summis magistris habeatur. — Summa capita ejus doctrinae ea sunt :

a) *quoad cognitionem humanam*. Cognitionis duplex fons : auctoritas, tempore prior, et ratio, re prior; idque tum generatim, tum praecipue circa veritates revelatas affirmatur. — Cognitioni praesupponitur necessario objectum ejus; quod est vel sensibile, per sensuum experientiam attingendum, vel intelligibile, solo intellectu percipiendum. — Certitudinem vero de utroque ordine objectorum nobis datur habere. — Intelligibilium cognitionem duplici via acquirere possumus : ex sensationibus ordiendo, et ad causas usque superiores ascendendo; — vel in nosipsos redeundo, atque veritatem intra nos habitantem inquirendo (quae altera via priore praestantior est), — hoc autem eo facilius et efficacius efficietur quo erit purius cor et virtutibus ornatus. — Cognitionis nostrae ultimum fundamentum est incommutabilis veritas Divina, in qua tanquam in lumine praelucente contemplamur aeternas et incommutabiles rerum rationes, quae in divina intelligentia continentur; — nec, si magister docet, propter ejus verba credimus veritatem, sed intra nos redeuntes veritatem ipsam contuemur absolutam, — nec, si duo eandem veritatem vident, eam alter in altero vident, sed uterque in ipsa veritate incommutabili, divina; — ex quibus sequitur Deum ipsum esse mentis nostrae summum lumen in quo omnia intuemur, sine quo nihil cognoscere possumus. — Ergo ex ipsa nostrae cognitionis natura in cognitionem Dei ferimur. — [Ista omnia, more et verbis Platonice dicta, perperam tamen et contra mentem S. Augustini sensu Ontologistarum intelligerentur, neque male ea interpretati sunt postea Scholastici, suis quidem dicendi modis ab Augustinianis valde diversis, de fundamento non logico sed objectivo ontologico omnis entitatis et veritatis : cfr. *Ontolog. prop.* 22, 23, 31, 32; *Theol. Natur. prop.* 10, 12].

b) *quoad Deum*. Deus est ens summum et perfectissimum, aeternum et

immutabile, ratio sufficiens omnis esse, ac proinde ubique praesens; — res omnes novit antequam essent, neque eas cognoscit quia sunt, sed ipsae sunt quia Deus eas noscit; — in intellectu divino sunt omnes ideae prototypae rerum. — Deus est ens absolutum, in se sine omni praedicatione, respectu creaturarum autem habet relationes, quae tamen ipsius naturam non mutant.

c) *quoad mundum.* Mundus, utpote complexus entium finitorum et variabilium, evidenter non est a se, ergo est productus; — et cum ab aeterno praeter Deum nihil sit, mundus est productus ex nihilo, seu creatus; — Deus a quo mundus non emanavit sed creatus est, est ens a mundo plane distinctum, neque est anima mundi, nam secus quaevis res mundi esset pars Dei, quod absurdum est. Cum nihil sit supra voluntatem Dei, finis seu motivum cur Deus mundum creavit, in sola ejus voluntatis bonitate manifestanda reponi potest; — cum vero Deus nonnisi bonum producere possit, mala mundi non immediate a Deo, sed a finitudine rerum proveniunt. — Deus creavit omnia simul, tum spiritus tum corporeum mundum, et quidem ita perfecte ordinatum sicut nunc est; sex ergo dies Mosaici non tempore successivi sunt, sed mera systematica expositio creationis secundum perfectionum gradationes.

d) *quoad animam.* Anima est a corpore essentialiter distincta, immaterialis, immortalis, nullam habens quantitatem; — essentialiter individualis, spiritualis, intelligens, specificiter determinans corpus humanum, sed ipsa in se angelicis spiritibus specificiter similis, qui et ipsi corpora sua habent, humanis subtiliora, unde et immortales sunt, dum homo ob grossius corpus mortalis est: hinc definitio hominis est: animal rationale mortale, angeli: animal rationale immortale, beluae: animal irrationale. — Anima est a Deo creata, sed haeret Augustinus ad quaestionem: quando oriatur? Nam Deus omnia simul creavit, et tamen singulae animae oriuntur simul cum suis corporibus. Item ad quaestionem: quomodo oriatur? Nam spiritualis anima nonnisi creatione a Deo potest oriri, et tamen nisi a parentibus generatione saltem aliquomodo oritur, quomodo poterit peccati originalis transmissio explicari? unde concludit suspendendam esse sententiam. — Anima in corpore una est, totius vitae principium; nec distinguuntur nisi ratione pars inferior vegetativa sensitiva, et pars superior intellectiva spiritualis. — Non agit corpus in animam, nec sentit, sed anima agit in corpus, et sentit per corpus. — Animae spirituales potentiae tres sunt: memoria, intellectus, voluntas; unde cum aliae creaturae sint Trinitatis divinae vestigia, quia unitatem, formam, et ordinem habent, anima est Trinitatis imago.

e) *quoad ethicam.* Duplex distinguenda est libertas: liberum arbitrium electivum, quod homini essentialiter competit; et libertas a malo, aptitudo ad bonum faciendum supernaturale, quam non essentia sua, sed gratia Dei, homo habet, et amittere culpa sua potest. — Liberum arbitrium non tollit infallibilis praescientia divina, nam non ideo homo eligit quia Deus hoc vidit, sed e converso. — Bonum duplex est: delectabile et utile; — bonum

summum debet esse delectabile, inamissibile, hominem summe perficiens; non ergo sensibile quidquam, nec virtus per seipsam, sed aliquid supra hominem, Deus ipse plene visus, perfecte amatus; — ergo nonnisi in futura vita attingendum, in praesenti praeparandum: — estque in hoc sita nostrorum actuum bonitas, ut ad illud bonum tendant, secundum voluntatis divinae legem; — virtus est « animi habitus, naturae modo et rationi consentaneus » seu « ars bene recteque vivendi ». — Prima virtus lexque prima est amor Dei, ex quo fluunt rectus amor sui et amor rectus proximi. — Malum non reale quid, sed privatio boni est, naturae contraria; cujus fundamentum remotum est creaturae finitudo et mutabilitas, proximum vero est voluntatis libertas. — Malum est vel morale: peccatum; vel physicum: poena peccati, nempe privatio beatitudinis summae, partialis in praesenti, totalis in futura vita. — Est igitur omnis bona actio accessus ad Deum, omnis vero mala recessus a Deo et accessus ad nihilum, habetque causam non tam efficientem quam deficientem.

5° Post S. Augustini tempus, imperium romanum invadentibus undique et perturbantibus Barbaris, pauci in rebus philosophicis eminuerunt, v. c:

a) *Claudianus Mamertus* Viennae presbyter circa medium saeculum quintum immaterialitatem animae defendit.

b) *Boethius* senator romanus, 470—525, Athenis philosophiae studuit, Romae sub Theodorico Gothorum rege scripsit versionem et expositionem librorum logicorum Aristotelis, commentarium in Victorini versionem « *Isagoges* » Porphyrii; maxime cooperatus ad graecae philosophiae cognitionem primis medii aevi saeculis conservandam. Ab inimicis accusatus, diu in carcere retentus, ibi scripsit librum « de consolatione philosophiae » ubi egregia de Deo et Providentia; obiit occisus.

c) *Cassiodorus*, 468—575, senator romanus, postea monachus, scripsit trivium: de grammatica, dialectica et rhetorica; et quadrivium: de arithmetica, geometria, musica, astronomia; alium librum « de artibus ac disciplinis artium liberalium »; alium « de anima. »

§ 3. POST SAECULUM SEXTUM.

1° Ea aetate videntur philosophi animum abjecisse, dum omnia turbata erant. — Circa finem imperii Longobardici, floruerunt *Petrus Pisanus*, et *Paulus Warnefried*.

2° Saeculo septimo sub Gothorum imperio in Hispania floruit *S. Isidorus Hispalensis*, dictus *Doctor Egregius*, † 636, auctor celeberrimi operis encyclopaedici cui nomen: « *etymologiarum sive originum libri viginti.* » Continet hic liber compendium omnium scientiarum illius temporis, et innumera excerpta veterum, quorum opera nunc perierunt; scripsit et libros « de ordine creaturarum » et « de natura rerum. »

3° Initio saeculi octavi in Anglia et Hibernia floruit *Venerabilis Beda*, qui

de scientiis et artibus adeo bene meritus est, ut ipsi protestantes eum « sidus primae magnitudinis » appellent.

4° In oriente, circa idem tempus floruit *Joannes Philoponus*, 500—570; sed multo magis *S. Joannes Damascenus*, circa 700, monachus, qui omnes coevos suos eruditione et subtili philosophandi genere longe superavit. Scripsit opus : « fons cognitionis » in quo breviter Aristotelicam ontologiam primum exponit, dein ex ea haereses refutat, ac tandem sub titulo : « de fide orthodoxa » totam catholicae fidei doctrinam lucido ac methodico ordine explicat; vultque ad eam philosophia tamquam « theologiae ancilla » uti. Ejus opera in Oriente etiamnum maxima auctoritate gaudent, in Occidente magnum in Scholasticos auctores influxum exercuerunt; unde non immerito *Pater Metaphysices*, ac praesertim ontologiae, et auctor theologiae scholasticae dicitur.

5° Exeunte saeculo octavo duo tentamina philosophica initium acceperunt, alterum in Gallia, alterum in Arabia; de quibus mox infra.

CAPUT II.

A CAROLO MAGNO USQUE AD LUTHERUM.

Toto hoc tempore, cui medium aevum vulgo nomen est, ille praecipuus et tamquam proprius character apparet, quod videlicet incultae novae gentes, fortibus moribus praeditae, ad fortia et sublimia quaeque quasi sponte praeparatae, cum primum christianae religionis mysteriis initiatae fuerunt, illis sincere et totis viribus adhaeserunt, illis se suaque omnia tum privata tum publica, tum speculativa tum practica, imbuenda ac penetranda praebuerunt. Hinc etiam scientificam speculationem ac philosophica studia imprimis ad theologicas quaestiones elaborandas, evolvendas, intelligendas, converterunt, philosophiam ipsam aestimaverunt esse ancillam theologiae seu medium ad dogmatum revelatorum explicationem inquirendam. Quod nulla alia melius atque expeditius via fieri posse cum sentirent, quam Aristotelica dialectica, aliisque Aristotelis plerumque, Platonis saepe, doctrinis suppositis; eas universi amplexi sunt scholarum magistri.

In tres periodos passim dividi solet illud aevum, quarum prima sit scholasticae philosophiae praeparatio atque generatio, altera ejusdem evolutio et perfectio, tertia ejus occasus, et ad recentiore philosophiam transitio. Sint ergo :

Articulus 1. Ante saeculum XIII.

Articulus 2. Saeculis XIII et medio XIV.

Articulus 3. A saeculo medio XIV ad medium XVI.

ARTICULUS 1.

Ante saeculum XIII.

Praeter philosophiae Christianae Occidentalis historiam, omittenda non est philosophia Orientalis extra Christianismum illo tempore existens.

§ 1. Initia philosophiae Scholasticae.

§ 2. Philosophia Graecorum et Syrorum.

§ 3. Philosophia Arabum.

§ 4. Philosophia Judaeorum.

§ 1. INITIA PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE.

1° Circa medium saeculum octavum, dum scientiarum studia fere ubique collapsa in Europa jacebant, *Carolus Magnus* exemplo et insigni favore quo *Petrum Pisanum*, *Albinum*, *Alcuinum* Anglum, aliosque scientiarum cultores, ad se accersitos prosequatur, omnimodum earum interitum nonnihil impedit. Quarum ut et progressum magis promoveret, plures scholas instituit, quarum pleraeque successu temporis vel in Universitates conversae, vel saltem Universitatum exemplaria fuerunt. — *Alcuinus*, 735—804, scholae palatinae praepositus, postea Turonibus abbas factus, ibidem quoque scholam fundavit famosam. Varia scripsit, vir de litteris et scientiis optime meritus. — *Rhabanus Maurus*, 776—856, abbas Fuldensis, postea episcopus Moguntinus, scholam Fuldensem, primam totius Germaniae fundavit; opus encyclopaedicum 22 libris « de universo » scripsit. — *Paschasius Radbertus*, abbas Corbiensis, † 851, opere « de fide, spe, et caritate » res christianas dilucide pertractat. — Ast quamvis in his omnibus scholis vix aliud praeter grammaticam, arithmetica, cantum, et dialecticam doceretur, ut haec discerent laici nobiles hujus temporis aegre adduci potuerunt : obstabant nimirum mores et praepudicatae opiniones, penuria librorum et scriptorum; neglectus quoque linguae graecae et exemplarium graecorum mox multum retardavit philosophiae progressus. Notum omnibus est, in solis monasteriis conservatas fuisse scientias, et litteras, atque antiquitatis librorum quidquid nobis superest.

2° *Joannes Scotus Erigena*, initio saeculi IX in Hibernia (quae Magna Scotia dicebatur) natus, sub Carolo Calvo scholae palatinae Lutetiae praepositus, postea in recenti universitate Oxoniae sub Alfredo Magno docuit. Is primus systema philosophicum illis temporibus exstruxit libro « de divisione naturae » sed erroribus plenum et famosum, ac postea merito damnatum; cujus haec fere summa est :

a) Cognitionis humanae principium est fides, veritates libris sacris contentae, et ratiocinatione explicandae; ergo religio et philosophia idem sunt.

b) Quadruplex est natura : prima quae creat et non creatur, secunda quae